

meum, et manduco, et bibo et erogo, et pauper cupio saturari ex eo inter illos, qui edunt et saturnatur. Et laudant Dominum, qui requirunt eum.

SANCTI GREGORII
MAGNI REGULAE PASTORALIS LIBER^{*)},
AD JOHANNEM EPISCOPUM CIVITATIS
RAVENNAE.

P R I M A P A R S.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI IOHANNI COEPISCOPO,
GREGORIUS.

Pastoralis curae me pondera fugere delitescendo voluisse, benigna, frater carissime, atque humili intentione reprehendis; quae ne quibusdam levia esse videantur, praesentis libri stylo exprimo de eorum gravedine omne quod penso: ut et haec qui vacat, incaute non expetat; et qui incaute expetiit, adeptum se esse pertimescat. Quadripartita vero disputatione liber iste distinguitur, ut ad lectoris sui animum ordinatis allegationibus, quasi quibusdam passibus gradiatur. Nam cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat; atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat; et bene vivens, qualiter doceat; et recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat: ne aut humilitas accessum fugiat; aut perventioni vita contradicat; aut vitam doctrina destituat; aut doctrinam praesumtio extollat. Prius ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium quod a non quaerente suscipitur, vita commendet: ac deinde necesse est, ut Pastoris bonum quod vivendo ostenditur, etiam

^{*)} Edit. Paris. 1705. T. II. p. 1—34.